



PHARMACOLOGIAE SEU MANUDUCTIONIS

AD Materiam MEDICAM Prolegomena Isagogica.

CAP. I.



Harmacologia est descriptio rerum medicamentarium ad bene medicandum; Objectum est res naturalis medicinalis quaecunque ad medicandum adaptabilis, sive figuram ea obtineat nativam, sive elaborationem aliquam officinalem sustinuerit; verum enim vero, quia nomina plurima occurrunt, quae vel minus vulgaria, vel aequivoca sunt, operae tium duxi Pharmacopoeiae tyronibus synopsi brevi inservire, & nomina alphabetica serie exhibere.

A.

Acetum in genere liquorem quemcunque acidum notare potest: in *Officinis* liquorem solum acidum denotat, ex potulentis succis factum, e. g. ex vino seu uvis in aqua, & hoc recipiendum est, quoties *Aceti* simpliciter fit mentio.

Acinus non pro uvae vinaceo apud idoneos autores, sed pro uva ipsa seu fructu toto accipitur, qui ex

succo, & ex ambiente cute seu folliculo constat. *Angl. A Grape, not a Grape-stone.* Columel. lib. 11. cap. 2. *Cum expresseris vinacea, quae acinis celantur, eoque jam infusata, & propemodum nigra fuerint, &c.* Extenditur & hoc nomen latius ad fructus minutiores arborum fruticumve spissius crescentes & coactius, ut *Hederae*, &c. & sic à bacca distinguitur, quae rarius crescit, ut in *Olea*, *Lauro*, &c. *Jun.* Medici recentiores pro gigarto seu vinaceo accipiunt, cum dicunt *uva exacinata*.

Acus, eris, purgamentum frumenti, palea. *The Chaff.* Porro *Acus* Plinio dicitur, cum per sēpica pinfitur; *Palea* verò, ubi cum stipula teritur in area.

Adeps, Grease or Fat, pars est Sanguinis oleosa, per vasa peculiaria in vesiculas appropriatas fluit; generaliterque denotat Pinguedinem mollem, e. g. Anseris, Anatis, Humani, &c. usitatus autem pro Axungia usurpatur.

Ala caulis est angulus, quem cum aule vel ramo, vel folium, vel pediculus folii constituit, qui semper ferè acutus est, vel rectus saltem, quia pediculi sursum nituntur. *Jung.* Non raro etiam acci-

pitur pro ramulo, ut cum dicimus *caule multis alis brachiato*, vel *in multas alas diviso*, quia rami veluti totidem alae cauli adnascuntur.

Alabastra sunt folia illa viridia, herbacea, quae flores sepiunt. *Funius* exponit *alabastrum* Rosae globum nondum explicitum totum, sed conniventem.

Alabastrum in mineralogia lapis est, ut suo in loco ostendimus.

Alburnum Plinio dicitur exterior ligni pars mollior & teredini obnoxia, à colore albo.

Amylum dicebatur quòd *ῥαεὶς μύλη* sine mola pararetur: cujus conficiendi modum vide in capite *De Tritico*.

Antheræ Offic. sunt summitates seu cacuminula in florum medio staminibus incumbentia, q. *ἄνθος ῥοδαῖος*, i. e. flos rosae. **The Chives.**

Apices idem significant quod *Antheræ*.

Arbor [*ἄρβυρος*] est planta lignosa, crassitudine & altitudine inter omnes maxima, cui caudex pro superficie est perennis & naturâ simplex, qui in multos ramos majores, quos *ἀκροῖες* & *ὄζυς* Græci vocant, & deinde in ramusculos complures, quos iidem *κλάδεις*, Latini *surculos* appellant, dividitur. Anglicè a **Tree**.

Arilli Offic. Vinacea, gigarta, q. aridula, quòd sicci sint, & nullum succum præbeant.

Arista Acus exilis ac longa è gluma extans. **The Beard of Awn.**

Aroma est odoramentum quodvis, ut Caryophylli, Cinamomum, &c.

Asparagus dicitur primum germen herbarum quod edendo est, vel oleris cujusque turio, antequam in folia explicetur, à *ἀσπράγος*. **The tender sprout of Asparagus herb from the ground.** Hinc per Antonomasiā dicitur herba quædam, quæ grandes profert & edules asparagos.

Axungia est pinguedo Sevo mollior, generaliterque Porci denotat. **Lard.**

B.

Baccæ dicuntur, qui sparsim arboribus fruticibusque adnascuntur fructus parvo-rotundi. **Berries** Anglicè, & sic ab *Acinīs* distinguuntur; qui sunt racematim dependentes baccæ. Nos in hoc opere restrictiore acceptione voce *Baccæ* utimur pro fructu minore pericarpio seu pulpa carneve molli & humida semina includente, & membrana tenuiore tecto.

Balaustium, sylvestris mali Punicæ flos. **The flower of the wild Pomegranate tree.**

Balsamus vel *Balsamum* denotat genus quoddam

odoramenti ex arboribus sponte exstillans; suntque vel liquidi, vel crassiusculi, vel solidi.

Bitumen est sebum aut resina Macrocosmi.

Bulbus est radix subrotunda, vel pluribus tunicis in orbem se amplexantibus, vel pluribus squamis imbricatim serè dispositis coagmentata, fibras plurimas ex ima sede seu basi emittens. Interdum latius accipitur pro radice quavis uno tubere constante etiam solidâ & substantiâ continuâ, nec divisâ in squamas aut tunicarum involucria, fibras ex ima sede aut basi emittente. Si Croci & Colchici radices bulbosæ censentur.

C.

Cacumina sunt idem quod summitates.

Cacuminula idem quod *Antheræ*.

Calyx, folliculus seu involucrium floris priusquam dehiscat, præcipuè Rosæ: interdum flos ipse rosæ connivens & nondum expansus. At nunc frequentissimè accipitur pro folliculo, quo flos primum, deinde semen herbarum & fructus arborum cooperitur. **The Cup enclosing or containing the flower.**

Capillamenta sunt filamenta illa tenuia, in florum medietate surgentia, apicibus plerumque donata. **Threads.**

Capita in Phytologia, rotunda sunt illa seminum receptacula, quæ capita referunt. In Zoologia quid sint notum est.

Capitulum est quod constat ex pluribus floribus & staminibus arcte in globosam aut circularem sive disci figuram congestis, ut in *Cyano*, *Scabiosa*, *Carduis*, &c.

Capitatae plantæ nobis in hoc opere dicuntur, quarum flores ex flosculis etiam marginalibus, fistulosis componuntur, quoniam calyx eorum squamosus in ventrem plerumque extumescit grandiusculum & subrotundum: cujusmodi *Carduus*, *Centaureum majus*, *Bardana*, &c.

Capreolus, est pars quædam auxiliaris, filamentum aut funiculi æmulus, cincinni in modum contortus, quâ planta quævis vicinis stirpibus alissive stipitibus se implicans, in altum enititur. Angl. **A clasper or tendrel.** Hujusmodi cernuntur in Vite & Leguminibus.

Caro in Phytologia, substantiam illam molliorem fructuum succulentorum notat, quam aliàs pulpam vocamus, ut pulpa seu caro Cassiæ, caro Prunorum, &c. *Schrod.* In Zoologia est substantia muscularis, constans ex fibris; vel, ut quibusdam, ex fistulis seu vasculis Sanguinem ex arteriis accipientibus, inque venas revertentibus. **Flesh.** *Catulus*

Catulus apud recentiores Botanicos idem sonat quod Iulus aut nucamentum, ut catuli Salicis aut Juglandis, id est Iuli. **A palm or Catkin.**

Caude: idem est in arboribus & fruticibus, quod caulis in Herbis.

Caulis est quod supra terram simplex assurgit, unde folia frondisque seu ramusculi emicant: vel, desiniente Jungio, est pars herbæ superna, ita in altitudinem exposita, ut anteriora à posterioribus, vel dextra à sinistris non differant. In arboribus, & fruticibus *caudex*, in frumentis *culmus* appellatur. **The stalk of any Herb, or trunk of body of a Tree.**

Cicus & *cicum*, membrana tenuis acinos in malo Punico discriminans. Hinc proverbialis locutio *Cicum non interduim*, id est, Non curo, perinde mihi est.

Clavicula idem quod Capreolus. **A clasper or tendrel.**

Comæ sunt plantarum summitates vel arborum frondes.

Conus in Phytologia dicitur fructus ex compactili lignosarum squamarum strue compositus, conifiguram æmulans, hoc est, à lata & circulari basi in mucronem desinens, qualis est *Pini*, *Abietis*, &c. Anglicè, **A cone or clog.**

Cor five corculum seminis est portiuncula seminis unde tum radix, tum germen enascitur; medullamque vegetabilium significat. In Zoologia pars est substantia carnosa & fibrosa duos ventriculos habens, sanguinique recipiendo & circumvehendo inserviens. **The Heart.**

Cornua non nisi in Zoologia locum habent.

Cortex, exterior arboris quasi crusta, **The bark of a Tree or other Plant.** Interior tunica ipsi ligno adherens *Liber* dicitur. *Cortex* autem à *corium* & *tego*, quia quasi corium tegit, ut Isidorus ἐπιμολογεί.

Corymbus in genere significat quodvis summum. Nam prima notio τὸ κορυμνὸν est in capite Veterum Atticorum tutulus seu meta suggestus capillorum, autore Scaligero. Verum apud plantarum scriptores *Corymbi* propriè Hederæ racemi appellantur. Plin. lib. 16. cap. 34. in descriptione Hederæ ponit, *Racemis in orbem circum actis, qui vocantur Corymbi.* *Corymbi* nomen extendit *Jungius* ad significandam extremitatem caulis, ita subdivisam, & floribus aut fructibus onustam, ut sphaerica figura inde oriatur, ut in *Cepa*, *Perro*, &c. Alii Umbellæ synonymum faciunt. *Corymbus* etiam alias sumitur apud recentiores Botanicos pro flore composito

discoide, qui in pappos non resolvitur: qualis in *Chrysanthemo*, *Bellide*, &c. cernitur: Nam huiusmodi flores in latum extensi umbellam seu corymbum quodammodo æmulantur.

Craci idem sunt quod apices. *Crocus* autem planta est bulbosa florem gerens, cujus stamina Officinarum *Crocus* est: Ut suo loco ostendimus.

Culmus, frumenti (aut etiam graminis) calamus est à radice ad spicam. **The Stalk of any Corn or Grass.**

Cyma, æ, & *Cyma*, atis, q. κόρυμνα, id est, partus novellus, qui prima germinatione producitur; est ipsorum caulium delicatior teneriorque cauliculus, & dicitur præcipuè de Brassica: verum & in genere *Cymæ* sunt cauliculi teneriores delicatioresque scaporum, quos à prima sectione præstant: imò *Cymæ* apud Botanicos adhuc latius sumuntur pro summitatibus quarumcunque herbarum.

Cytinus, flos est mali Punice sativæ. **The flower of the Pomegranate Tree.**

D.

Dactylus, Palmula, caryotis, Palmæ arboris fructus, à digiti similitudine sic dictus. **A Date.**

Digitatum folium nobis cum Jungio dicitur, in quo plures lacinie seu plura simplicia folia, quasi ad unum petioli punctum sive terminum aptata sunt, ut in *Pentaphyllo*, *Lupino*, *Cannabe*, *Vitice*, *Trifoliis*, *Fragaria*, &c.

Discus est media pars floris compositi ex compressis & confertis flosculis, ita ut unam quasi apparentem superficiem constituent, ut in *Caltha*, *Flore Solis*, &c. à similitudine *disci*, cujus figura plana erat ac rotunda, ut ex veteri statua apparet. Hinc Sol Græcis *Discus* appellatur. Erat autem *Discus* moles aliqua è plumbo aliòve metallo, quam jacentes athletæ inter se decertabant.

E.

Echinus, asperum & spinosum est Castanæ operculum, & in genere quicquid numerosa congerie aculeorum stipatur, sive tegmen, sive caput, sive cacumen fuerit, à similitudine Echini animalis. **A Bur or any prickly Fruit.** In Zoologia Quadrupedem, & Insectum marinum crustaceum denotat.

F.

Fibræ sunt veluti stamina rebus nonnullis intertextæ, v. g. ligni foliis, &c. sic fibras ligneas vocamus corpora seu filamenta in longum extensa, ex quibus maximam partem lignum componitur,

vid. lib. 1. cap. 8. Item fibræ dicuntur minutissimæ & extremæ radiculae.

Flos est pars plantæ tenuior, colore vel figurâ vel utroque insignis, fructui prævia eique plurimum cohærens, & tenello tegendo fovendoque interveniens, quæ, postquam explicatur, brevi aut decedit aut inarescit. Flos simplex & compositus seu aggregatus, uniformis & difformis, discoides, radiatus, &c. quis sit, vide Raii H. P. lib. 1. cap. 11. pag. 18, 19.

Folia in Mineralogia, folia Auri & Argenti, dicuntur laminæ tenuissimæ eorundem metallorum, seu Aurum & Argentum in tenuissimas laminas ductum. *Folium*, in Phytologia, definiente Jungio, est quod à sede cui adhæret ita in longitudinem & latitudinem extenditur, ut tertie dimensionis termini inter se differant, hoc est, superficies folii interna seu superior caulem respiciens ab externa seu inferiore. Folii differentia, quidque per folium digitatum, pennatum, triangulatum, &c. intelligimus, videfis in Historia Plantarum Cl. D. Raii l. 1. c. 9. p. 13.

Folliculus, est theca tenuis, quæ granum, vel semen continet involutum. *A husk or cob.*

Frit Varroni est, quod in summa spica matura minus est quàm granum.

Frontatum petalum seu floris folium nobis dicitur, quod in extremum latius, & non rarò rectâ lineâ terminatum definit, ut in *Calendula* & similibus.

Fruetus sunt grandiores illi ac succulenti plantarum foetus, seminum receptacula, ut *Poma*, *Pyra*, *Pruna*, &c. à fruendo; sed & latius extenditur nomen *Fruetus* ad omnem agrorum proventum. Jungio *fructus* dicitur pars plantæ annua, flori cohærens & succedens, qui, ubi maturuerit, id est, ad perfectionem suam pervenerit, sponte à planta abscedit, & terrâ aliâve commodâ nutrice excepta, novæ plantæ fit initium. Angl. *The Fruit*. Sunt ergo fructus, vel Pericarpia integra cum seminibus contentis, vel Semina sola in iis quibus pericarpium deest.

Fruges, quicquid de terræ proventu in alimoniam cedit. Errant ergo qui discriminant legumina à frugibus.

Frumenta sive frumentacea, Botanicis dicuntur quæcunque geniculato culmo & arundinaceis foliis constant, seménque pultibus aut panificio aptum in spicis aut jubis producant, ut *Triticum*, *Hordeum*, *Milium*, *Panicum*, &c. Frugum enim duo sunt summa genera, Frumentacea & Legumina. Cæterum & Ficuum grana exigua Fruimenta dicta sunt Plinio.

Frutex, definiente Bodæo à Stapel, est stirps inter lignosas altitudine ac crassitudine mediocris, cui pro superficie stipes perennis, natura multiplex, quisque facili in naturam arborum stolonum abscissione transcendit. *A Shrub.*

Fundus plantæ [*πυθμν*] Jungio est limes communis, in quo radix & pars superna cohærent.

G.

Gemma in Mineralogia Lapis pretiosus est. *A Gemm or Precious Stone.* In Phytologia idem est quod Oculus, Anglicè *A Bud.* Id quod in arboribus tumescit cum parere incipiunt. *Gemmæ* plenior descriptionem vide Raii l. 1. c. 8. p. 12.

Geniculum est nodus quidam herbarum in caule. *A joint or knot.*

Glans in Phytologia dicitur, quod cortice constat tantum semen continente, cujus pars posterior, quæ arbori adhæret, calyce proximè cooperitur, parte superiore nuda. *Spigel. Isag.* Rectius Glans dicitur ipse fructus calyce contentus. In Zoologia est penis suprema pars præputio in Homine tecta.

Gluma, *utriculus*, folliculus grani seu involucrum seminum in frumentis, à glubendo, quod eo folliculo deglubitur granum. *The husk or chaff of Corn or Grals.*

Granum proprie semen frugum dicitur, indè generalius quicquid minutum est, & similitudinem aliquam habet cum grano frumenti.

Gummi est succus plantæ concretus, qui in aqua facile dissolvitur, in igne non liquefit, nec flammam concipit, sed duntaxat crepitat, cujus generis sunt *Gummi Arabicum*, *Gummi Cerasi*, &c.

H.

Herba (definiente Bodæo à Stapel, ex Antiquorum sententia) est stirps, cujus superficies est ex foliis tantum, vel etiam ex caule, sed illo annuo, carnosio, qui diutius durare nequit, lignosusque non est, nisi cum exaruerit. In praxi medica pro foliis solis, ut plurimum usurpatur.

I.

Internodium est intervallum inter bina genicula, quale in culmis & arundinibus cernitur: *The space between two joints.*

Juba in Phytologia est arundinacea coma laxè effusa, qualis in Milio est.

Iulus,

Iulus, nucamentum, quod in *Corylo*, *Juglande*, &c. velut praelongus vermiculus dependet, & nihil aliud esse videtur, quam florum stamineorum series. **A Catkin**, and in *Willows a Palm*. *Salicum Iuli* à *Juglandis*, &c. diversi sunt; nam in fertilibus plantis numerosis vasculis feminalibus constant.

L.

Lachryma in Phytologia, est humor è plantis, tum sponte effluens (sive is concreascit v. g. in oleum, refinam, gummi, sive non) tum facta incisione emanans. *Schrod.* Spigelius *Lachrymam* in eo distinguit à succo, quod liquor, qui ex confusa herba exprimitur aut elicitur, Succus vocetur; qui verò vel sponte, vel incisione manat, *lachryma*. In Zoologia sunt humiditates, quæ à glandulis oculi ad oculos humectandos secernuntur, quæ si nimix fuerint, ita ut à puncto lachrymali non recipiantur, extra oculos decidunt, & lachrymarum nomine veniunt.

Lacinia est portio folii inter duas fissuras (fissura est profundior scissura) inclusa. **A Jag.**

Lanugo in Phytologia est mollis foliorum aut fructuum lana, ut *Cydoniorum*, &c. *Jun.* vel (ut *Schroderus* definit) filamenta tenella cuticulæ extimæ instar pilorum aut lanæ adnascentia. **Down.**

Lapides in Mineralogia sunt corpora terrea, dura, indurcilia: in Phytologia cortices duriores, nucleum includentes, qui quandoque lapides referunt: in Zoologia calculos exhibent in animalibus repertos.

Legumen, legumentum, quicquid ex terræ satis in siliqua nascitur, ut *Faba*, *Pisum*, *Cicer*, *Lens*; à legendo, teste Varrone, quoniam id non secatur, sed legitur manu vellendo. **Pulse.** Nos in hoc opere leguminibus accensimus herbas omnes, quæ florem producant papilionaceum.

Liber, interior tunica arboris ipsi ligno adhærens: *Jun.* Unde *Liber* adhuc dicitur, in quo scribitur ex quacunque sit materia, quia ante repertum chartæ vel membranæ usum, de libris arborum volumina compaginabantur. **The innermost bark of a Tree.**

Loculamentum est camera quædam seclusa & distincta in seminum vasculis, uti videre est in capitulis *Papaverum*. *Jun.* **A Cell.** Interdum ipsa capsula & seminis involucrum.

Locustæ in Phytologia sunt Avenacæ glumæ singulares cum feminibus ex longis filis dependentes, ob quandam similitudinem cum locustis dictæ.

Extenditur hoc nomen ad Graminum paniculatorum grana glumis involuta significanda. In Zoologia Insectum est.

M.

Malicorum, Mali Punici cortex.

Matrix arboris idem est quod ejus medulla sive Cor. In Zoologia Uterum significat.

Medulla in Mineralogia partem molliusculam denotat, quæ in saxis nonnunquam reperitur. In Phytologia mediam cujuslibet plantæ partem molliorem & spongiosam significat, quam & Cor matricemve appellant, cujus descriptionem plenior vide *Ruii* lib. 1. cap. 4. p. 7. In Zoologia adipem significat in ossium medietate contentam: vel molliorem illam substantiam, quæ in spina dorsi ac cranio est.

Malleolus, desiniente *Columella* lib. 3. cap. 5. novellus est palmes innatus prioris anni flagello, cognominatusque à similitudine rei, quod in ea parte, quæ deceditur ex vetere sarmento, promittens utrinque *Malleoli* speciem præbet.

Merges, manipulus spicarum, quantum sc. semel instrumentum messorum *Mergus* dictum inter metendum capiat.

Minera est terra sive materia, ex qua mineralia & maximè metallica fiunt. **The Ore.**

Mineralia sunt ea, quæ non sunt Vegetabilia, nec animalia, ut Metalla perfecta & imperfecta.

Mutica spica dicitur quæ aristis caret, quasi mutila.

N.

Nervus, in Phytologia, praelongum & continuum filamentum folia perreptans, ut in *Plantagine*, quæ inde quinquenervia & septinervia dicitur. In Zoologia est pars fibrosa, longa, rotunda, alba, instar *Cannæ Indicæ* porosa, Spirituum animalium diductioni inserviens, ut hoc ritu partes corporis mobiles & sensibiles sint.

Nucamentum, idem quod *Iulus*, quædam scilicet quasi panicula dependens è ramis nucum aliarumve arborum: **A Catkin or Palm.**

Nucleus, Veteribus *Nuculeus*, id vescum quod sub putamine nucis latet, & generalius semen quodcumque nucibus vel fructibus inclusum & occultatum.

Nux, agriculturæ scriptoribus dicitur omne Pomum, quod foris duro tegitur cortice, intus verò continet quod est esui. *Macrob.* Hi nempe existimarunt Pomum cum Malo haud idem esse, sed Pomi nomen Nuces atque Mala continere.

Nux

Nux fructum denotat cortice lapideo nucleum occludentem. **A Nut.**

O.

Oculus, in Phytologia tuberculum in arborum furculis unde germinant: **a Bud.** Hinc *inoculatio* infitionis species, cujus descriptionem vide *Raii H. lib. 1. cap. 19. pag. 37.* *Schroderus* oculos exponit florum prodromos, inque flores explicabiles, nimis restrictè, nam *Oculus* æquè late patet ac *Gemma*. In Zoologia est Organum visus externum. **The Eye.**

Oleum, in Mineralogia Bitumen liquidum denotat, ut *Terra-Petræ*. In Phytologia est pinguedo quædam fluida ex fruticibus aut feminibus expressa, uti est *Olivæ, Palmæ, Amygdalorum, Raparum, &c. Oil.*

Olus, quæcunque herba esculenta, ab olla nomen sortita, quod in cibum veniat. *Jun.* *Holus* Julio Scaligero ab ὅλος, claro indicio priscæ frugalitatis, quæ ad victum nihil obsonii sibi deesse existimaret, modo nè deesset olus. Hoc enim ὅλος est, sicut *Panis πᾶν*. *Jos. Scaliger* in notis ad *Varronem* olus deducit ab *oleo* cresco, quod olea in hortum translata ex agrestibus culta fiant. **Bot-herbs.**

Offa in Zoologia notissima sunt. **Bones.**

Officulum, os, penetrabile fructuum carne contextum, in quo nucleus est, ut in cerasis prunisque. **The stone of a Plum, Cherry, or the like fruit.**

P.

Palmula, Dactylus, caryotis. **A Date.**

Panicula est lanosa coma unde semen dependet, ut in *Arundine, Milio, Gramine, &c.* seu (ut *Jungius* definit) *Spica* laxè diffusa, præsertim pro-pendentibus petiolis, ut in *Milio*. Idem valet quod *Juba*, & opponitur *Spicæ*.

Pappus, lanugo è floribus veterascentibus decidua & volatica, qualis in *Carduis, Erigero, Hieracio, &c.* cernitur. Hinc *Herbarum* classis *Papposa* seu *Pappiflora* dicta. **The Down growing to the seed, or wherein the seed lies.**

Pecten arboris, linearum tractus, qui in longum excurrit in materia seu ligno, cujusmodi in pectine conspiciuntur dentes. **The grain of the Wood.**

Pennatum folium, est in quo bini lobi seu mavis folia partialia, è regione sibi ad idem quasi costæ punctum sive ad eandem costæ distinctionem opponuntur, ut in *Fraxino, Juglande, &c.* seu fo-

lium compositum ex foliis partialibus binis sibi invicem ad costam mediam oppositis.

Petala nobis *F.* Columnam sequutis dicuntur floris folia, seu laminæ illæ tenellæ colore insignes & fugaces. Hoc autem nomine partim ob brevitatem, partim ad Homonymiam evitandam pro floris folio utimur. Hinc monopetalæ herbæ nobis dicuntur, quarum flos unico folio seu laminâ constat, tripetalæ, tetrapetalæ pentapetalæ, &c. quarum flos tribus, quatuor, quinque, &c. foliis componitur.

Pediculus est, à quo folium, aut flos, aut fructus dependet. **The foot-stalk of a leaf, flower or fruit.** In Zoologia Insectum est.

Perianthium est quod florem tegit, & dicitur etiam calyx.

Pericarpium, nonnullis restringitur ad significandam pulpam mollem seu humidam semina ambientem, ut, *Pyris, Pomis, &c.* Alii latius extendunt id nomen ad significandum thecam aut involucrium seminis quodcunque, sive membracea, &c. fit, ut in vesicis *Ulmi, Staphylodendri, &c.* sive durum, ut in *Castanea, sive carneum, ut in Pomis, &c.*

Petiolus idem est quod pediculus. **A foot-stalk.**

Pinguedo idem est quod adeps. **Fat.**

Planta est vegetabile integrum.

Pomum generale nomen est, quo continetur omnis fructus arboris esui aptus, sive is molli corio tegatur, sive duro, ut scil. Nucleum & Malum sub se complectatur. Nos cum arbores quasdam *Pomiferas* dicimus, *Pomi* nomen strictius accipimus pro fructu, cujus caro esculenta nec duro putamine includitur, nec officulum in se continet. **An Apple or a Pear.** Alii *Pomum* à Nuce distinguunt, ut *Pomum* sit quicquid foris habet quod edendo est, & durum intus includit; *Nux* quicquid foris duriore corio tegitur, intus habet quod est esui.

Pulpa est caro seu substantia fructuum succulentorum inter corticem ac nucleum comprehensa, v. g. *Pomorum, Ceraforum, & similibus.* Primariò significat partem carnosam in corpore animalis.

R.

Racemus est integra uva è multis constans acinis.

A Cluster of Grapes. Ad alios etiam fructus extenditur, qui uvæ in modum ex pluribus acinis sunt conglobati.

Radix,

Radix, definiente *Jungio*, est pars plantæ inferior, quæ intra corpus solidius, quod plantæ sedem præbet, abdita (sive illud terra sit, ut plerumque, sive saxum, sive calx, sive arena, sive lignum, sive quodcunque aliud) & alimento attrahendo destinata est. Nonnullæ ex plantis submarinis radices habent expostas, & minime intra corpus aliquod solidius abditas, sed duntaxat saxa in fundo jacentia amplectentes.

Ramus est in quem *Caulis* dividitur, estque velut brachium plantæ, *A Bough or Branch*.

Resina est liquor pinguis & oleaginosus ex arbore seu sponte seu eâ vulneratâ distillans, quæ in aqua non dissolvitur, sed in oleo duntaxat, & flammam facili concipit.

S.

Sagitta, dicitur superior pars furculi aut flagelli. Vid. Raii lib. 1. cap. 18. pag. 33.

Scapus est caulis rectus in columnæ modum. *Jun.* Est enim scapus ipsum corpus columnæ inter basin & epistylium. *De Shaft*. Vel Scapus est pars caulis ramosi, qui à fundo ad cacumen unâ quasi lineâ extenditur, cui rami utrinque adhærent. *Jung.*

Scabi, quod ferrâ de ligno deteritur. *Sato du f.* Sic etiam dicitur limatura, seu illa velut farina, quæ limâ abraditur: à Scabendo.

Semen in Officinis minutiores plantarum fructus denotat, ex quibus simile nasci potest. *Schrod.*

Sevum est pinguedo duriuscula. *Sewet.*

Siliqua est folliculus oblongus, cui Leguminum & similibus grana includuntur. *A Coe or Husk.*

Spadix, Ramus Palmæ unâ cum fructibus revulsus; inde color quidam Spadiceus denominatur. *A colour approaching to Bay or Chesnut, but with more red in it.*

Spica est quod culmus extulit, continetque granum, glumam & aristam, an *Ear of Corn*. Verum hoc nomen latius extenditur: unde rectè à *Jungio* definitur, quod ex floribus vel seminibus pisse compositum est, ita ut conus erectus sed oblongus, sive admodum acutus inde evadat, ut in Plantagine, Bistorta, Secali, Hordeo, &c.

Stamina idem sunt quod Capillamenta, quæ sic describit *Spigelius*, *Isag.* lib. 1. cap. 6. Sunt autem stamina in floris medio, quod Umbilicus appellatur, partes oblongæ, tenues veluti capillamenta, interdum paulò crassiores, paululùm prominentes in summitate apicibus frequenter præditæ, quæ stylum, partem similiter oblon-

gam, sed paulò crassiorem, atque è centro umbilici emergentem ambiunt.

Stercus est excrementum animalium per anum excretum.

Stirps, planta firmitate prædita *Jun.* in genere Plantæ Synonyma est.

Stolones sunt cauliculi inutiles à radicibus aut caudicis lateribus succrescentes. *Suckers from the root.* *Jo. Bodæus a Stapel*, Stolonem dici vult, quæ nascitur circa stipites, & avellitur cum radice & corporis parte; quo à Vivradice differt, quæ integra ex arboribus è longinquo extrahitur. Vid. Raii lib. 1. cap. 19. p. 33.

Stylus in Phytologia est pars floris medium ejus occupans & rudimento fructus aut seminis cohærens. Dicitur Stylus, quia in longitudinem plerumque extenditur, *Jung.* Vid. Raii *H. P.* lib. 1. cap. 19. p. 33.

Succi, in Officinis vocantur expressi liquores, ex radicibus, foliis, floribus, fructibus, &c.

Suffrutex est planta humilior, lignescens & perennis, à radice non foliata, & ab imo statim ramosa; vel Planta inter lignosas minimæ & altitudinis, & crassitudinis, superficie perenni, non gemmipara, ut *Salvia*, *Ruta*, *Lavendula*.

Summitates sunt cacuminula herbarum, dicunturque de herbis foliorum minutiorum.

Surculus est, quod in ramis simplex assurgit, tenerum & exile. Est etiam ramulus novellus, qui inspicatur ad ferendum. *A small twig of a tree, also a Cyon or graft,* germen arboris anniculum.

T.

Testa vel ovorum cortex externus appellatur, vel concharum tegumenta.

Thyrus est, quod virgulæ in modum, aut in teli rectitudinem in planta consurgit: *Caulem autem medium fruticis, qui vulgo thyrsus dicitur*: *Servius.* Vossius exponit, quicquid sic consurgit, ut in gracilitate attenuetur, ut arbores *coniferae*, vel *conipiceæ*. Apud Botánicos cum Spica confunditur. Item Hastula frondibus vestita, quam solebant Bacchantes ferre.

Tomentum est lana brevis forcipibus desecta, aut in poliando à fullone de pannis rudibus aut interpolatis deducta, quâ inferciuntur culcitæ qualescunque. *Jun.* *Flocks or Flox.* Hinc ad plantas transfertur, quæ molli & lanosâ comâ in capitulis eminente præditæ sunt, ut *Carduus tomentosus*, *Gramen tomentosum*, &c.

Truncus,

Truncus, caudex arboris ramis & frondibus destitutus.

Tuber, est fungus subterraneus, à tumeo. Hinc dicitur de plantarum radicibus prætumidis, rotundis. Radices tuberosæ, *Knobby roots*.

Turiones, tenella arborum, fruticum, aut herbarum cacumina, quasi teneriones; vel, ut Vossius vult, quia facile teruntur. Teneritates summitatum ipsarum arborum quæ singulis annis crescunt. *Schred.*

U.

Venæ in Phytologia sunt, quæ in plantarum foliis apparent, fibræ in ramulos divisæ: in Zoologia quid sint ignotum non est.

Verticillatæ plantæ dicuntur, quarum flosculi caulem articulatum velut verticilli amplectuntur foliolis interspersis, ut in *Pulegio* & *Marrubio* cernitur. Sunt autem Verticilli instrumenta quædam rotunda, quæ fufis adhibentur, ut facilius vertantur: Anglice *Wherls* dicimus.

Villi idem quod fibræ, & pili.

Vimen, omne virgultum lentum ac flexile, ad ligandum aptum, à viendo. *A bending twig of wythe.*

Vinaceum, granum acini, *Waprov.* *A Grape-stone.* Vide *Acinus*. Accipitur etiam nonnquam pro totis uvæ expressæ reliquiis.

Umbella vocatur floris feminisve velut pedamentum in plures divisum longiores pediculos, qui simul ex eodem fastigio orti in latius continuò radiantur, singulisque florem sustinent in orbem circumactum, ut in *Fœniculo*, *Anetho*, *Apio*, &c. vel, ut *Jungius* definit, est extremitas caulis per multas subdivisiones in coni inversi figuram aptata; à similitudine umbellæ qua mulieres faciem à Sole arcent. In Umbelliferis enim summus caulis, summique ramuli in plures ab eodem puncto ortos radios dividuntur, singuli radii itidem in plures pediculos qui flores sustinent.

Umbilicus, in Phytologia duplex est, 1. quod in Pomis vel prominet, vel reconditur ab adversa pediculi parte: 2. media pars floris unde stylus & stamina emergunt. In Zoologia est umbo, uti dicit *Blanchardus*, in medio abdominis situs, cui in foetu intestinulum umbilicale conjungebatur, quod post partum abscinditur. *The Navel.*

Unguis pars ima folii Rosæ albida. Extenditur etiam ad florum aliorum petala. In Zoologia Ungues sunt corneæ extremitates digitorum & pedum. *The Nails of the Fingers of Toes.*

Ungulæ sunt cornea tegumenta, quibus pedes nonnullorum animalium conteguntur. *Hoots.*

Uniformem florem dicimus, cujus anterior pars posteriori & dextra sinistræ similis est. Vide *Raii* lib. 1. cap. 11. p. 18.

Urina, est excrementum ferosum à sanguine in renibus secretum, per ureteres ad vesicam delatum, donec convenienti tempore & loco excernatur. *Urine.*

Volva, Pomi medium, in quo ceu loculo latent semina. *Scribon.*

Uruncus, quod in infima spica ad culmum stramenti est minus quam granum.

Ufnea vide *Muscus* in Phytologia.

Utriculi sunt seminum in frugibus involucra & operimenta, quæ trita & cribro excussa Glumæ sive Acus dicuntur.

Hæc Terminorum explicatio maximâ ex parte à Clarissimo Raio mutuata est.

CAP. II.

De Instrumentis Pharmacopœticis.

Instrumenta medicamentorum præparationi inservientia varia sunt, differuntque non modò ratione officii, sed & materiæ formæque inde dependentis diversitate. Officii ratione alia medicamentorum præparationi, alia asservationi inserviunt. Materiæ respectu, sunt alia ex lapidibus, alia ex terris, vitris, metallis, lignis, corio, linteo, panno, &c. Forma instrumentorum varia existit, prout illorum officium requirit, materiaque permittit. Nos usitatiora Synopsi damus.

Agitaculum. *A pulping Sieve.* Est Cribrum ex panno cilicino factum ad trajectionem pulpæ utile.

Ahenum. *A Brass Kettle or Pan.* Est vas cupreum, medicamentis coquendis destinatum.

Alembicus. *An Alembick.* Est instrumentum chymicum, quod cucurbitis & vesicis distillatoriiis super-imponitur, habet formam galeæ, intus concavum, extus convexum, circa infimam partem rostrum habet cucurbitale, per quod vapores descendunt: Conficiuntur ex ære, stanno, vel vitro.

Ampullæ. *Vials.* Sunt vitra rotunda, quibus cololum in summitate est.

Arcule. *Bores.* Diversæ formæ ad reponenda simplicia.

Catillus

Catillus vel **Catillum**. **A Porringer**. Vas est vel fictile, vel cupreum, vel stanneum, ad reponendum liquorem.

Catinus, vel **Cupella**. **A Cupel**. Est ex cineribus ossium aut aliis rebus confiatum, in quibus Aurum & Argentum à sordibus suis depurantur.

Circulatorium. **A Digesting-glass**. Est vas vitreum, ubi infusus liquor, ascendendo, & descendendo, quasi in circulo rotatur. Varia sunt hujus generis vasa, ut Alembicus Cæcus, Pelecanus, Gemina, Diota, &c.

Cochleare. **A Ladle**. Quod majus est, & ex ære conficitur, vel ex argento aut stanno; & minus, quod Anglice **A Spoon** dicitur.

Colatorium. **A Strainer**. Est cribrum, pannus, linteum, aut aliud quid, per quod aliquid colatur.

Cribrum. **A Sieve**. Est instrumentum vel ex ligno, vel serico, vel panno cilicino factum ad separandum pulverem à sordibus destinatum.

Crucibulum. **A Crucible**. Est vas fusorium ex terra igni contumaciissima factum, acutiore basi, & ferè in ampliorem capacitatem formâ triangulari vel rotundâ desinens.

Cucurbita. **A Cucurbite**, or **Gourd-like Vessel**. Est vas Chymicum turbinatum ex terra vel vitro confectum, destillationibus per alembicum instituendis aptum.

Fistula. **Carthen Pots or Pans**. Variæ formæ.

Fereps. **A pair of Tongs**. Est instrumentum quo Carbones Tegulæ, aliaqueprehenduntur.

Infundibulum vel **Tritorium**. **A Funnel or Tunnel**. Est vas transmittens in summitate latum, quod paulatim in fistulam cuspidatam desinit; & ex metallo vel vitro fabricatur.

Lebes. **A Bason**. Vas est vel fictile vel stanneum ad colatorandum vel reponendum liquorem.

Lima raspatoria. **A rasping File**.

Malleus. **A Hammer**.

Manica Hippocratis. **Hippocrates's Sleeve**. Est sacculus laneus figurâ pyramidalis, quo vina aromatica & medicamentosa, aliique liquores percolantur.

Matracium. **A Matras**. Est vitrum circulatorium, habetque formam ferè rotundam, cum collo satis longo.

Mensuræ vel **Laguna**. **Measures**. Variæ magnitudinis, pro mensurandis vel Spiritibus vinosis, vel Aquis tum Simplicibus tum Compositis, vel Vino, &c. In Medicina tamen usitatiores sunt **Cochleare**, quod in syrupis, continet Unciam dimidiâ; in Aquis Stillatitiis, drachmas tres; **Cyathus**, qui comprehendit Unciam unam cum

semisse; & **Congius**, qui Libras octo continet. V. *Autores de Mensuris*, præsertim *Grævium*, *Bernardum*, & *Cumberlandum* nostros.

Mortaria. **Mortars**. Vasa sunt ex ære, marmore, ligno, aut vitro confecta, in quibus pistillo ferreo, aut ligneo vel vitreo, res quædam contunduntur.

Ollæ & Ollulæ. **Gally-Pots**. Variæ formæ, & magnitudinis.

Pistilla. **Pestles**. Instrumenta sunt Pharmaceutica, ex ferro, ligno, aut vitro confecta, quibus res in mortariis tunduntur.

Pondera. **Weights**. In usu medicinali sunt Granum, Scrupulus, Drachma, Uncia, Libra.

Granum	} cujus signum,	Gr.
Scrupulus		℥
Drachma		ʒ
Uncia		ʒ
Libra	}	℔

Grana viginti	} constituunt	Scrupulum.
Scrupuli tres		Drachmam.
Drachmæ octo		Unciam.
Unciæ duodecim		Libram.

De his consulantur *Autores* varii de Ponderibus & Mensuris, in hisce enim maxima est confusio, & obscuritas, adeò ut Antiqui in multis rebus nobis haud intelligendi sunt.

Porphyrites. **A levigating or smoothing Stone**, **Prælum**, vel **Prelum**. **A Press**.

Pyramis. **A levigating Pebble**. A figura.

Pyxides. **Pill-Bosses**. Capsulæ sunt, in quibus nempe Medicamenta asservantur.

Receptaculum vel **Excipulum**. **A Recipient, or Receiver**. Est vas amplum, in quo guttæ & vapores destillantes excipiuntur.

Retorta sive **Cornuta**. **A Retort**. Vas Chymicum est, ex vitro, terra, vel ferro confiatum, figura rotunda, ad cujus latus rostrum est, flexum, retortum, & cavum, per quod destillanda ingeruntur & egeruntur.

Rudicula, **Spatula**, vel **Spatha**. **A Spatula**. Instrumentum est oblongum, ex argento, chalybe, cupro, ligno, aut ebore confectum, inferius latum, quo medicamenta varia absque manuum iniquatione commodè tractantur.

Rutabulum. **A Cole-Bake**. Instrumentum quo Pharmacopœi utuntur in prouendo igne.

Sacculi. **Little Bags**. Ex charta, &c. confecti. **Separatorium**. **A Separating Funnel**. Vas est Chymicum

Chymicum vitreum oleis ab aqua separandis destinatum.

Tegulae. Tiles.

C A P. III.

De Collectione Simplicium.

TAmetsi in peregrinis simplicibus certum collectionis tempus sciri nequeat, eorum tamen color, odor, sapor, ac species iudicium nostrum subeunt, ex quibus omnibus ac singulis collectionis debito modo & tempore factæ notas desumere possumus. Ea porrò, quæ nostris terris innascuntur, tum demùm colligere, ac in usum medicum congerere oportet, cum maximè vigent, aut matura sunt, vel ad propriæ virtutis perfectionem plus minus accedunt.

Ex Mineralibus, optima Metalla censentur, quæ maturuerunt.

Ex Vegetabilibus, radices evellantur inclinante vere, aut æstatis initio, post primorum foliorum eruptionem, tunc enim succo probè concocto turgent: quo tempore eas summarum virium, & maximè medicamentosas esse Autores affirmant. *Herbæ* colligendæ sunt, quando folia magnitudine, colore, & odore vigent, præsertim quæ cacumini sunt propiora, idque cœlo sicco, & sereno, atque tempore meridiano. *Flores* colligendi, quando expliciti pulchritudine suâ luxuriant, non dehiscetes aut decidui: Flores verò Rosarum, pro conficienda conserva avellendi sunt, priusquam aperiuntur. *Fruetus*, priusquam decerpantur, probè maturi sint oportet: nisi datâ operâ immaturi expetantur, ac deinde exsiccentur aëre, vel sole, & si opus sit, in clibano post panis extractionem. *Semina* colligenda sunt, cum siccare cœperunt, & antequam excidant, & in loco sicco, non calido, ad usum reponuntur. *Cortices & Ligna* avelluntur, quando arbores in pleno vigore sunt.

Animalia, eorūque partes, sumi debent ex iis quæ ad ætatem consistentiæ pervenerunt.

C A P. IV.

De Asservatione & Duratione Simplicium.

Simplicia collecta asservari ad usum debent; sic tamen, ut asservatio non extendatur ultra ter-

minum durationis, quia vires cum tempore languescunt.

Mineralia pleraque, quia durabilioris ac solidioris sunt substantiæ, diutius ideo integris viribus durare possunt.

E Vegetabilibus, Flores quamdiu odorem, colorem, & saporem retinent, asservari possunt; quod tamen spatium vix ad annum extenditur; mutandi igitur singulis annis. *Herbæ* diutius validæ durare possunt: tamen singulis annis, præsertim indigenas, mutare convenit. *Semina*, quo calidiora, acriora, & magis aromatica, eo durabiliora sunt, eoque per biennium aut triennium, servari possunt, minutiora tamen, ac frigida minora, singulis annis renovare expedit. *Fruetus* quotannis mutandi sunt: exotici tamen duriori cortice, ac crustâ vestiti, per duos tresve annos & plures durant. *Radices* parvæ, tenues, raræ, anno quolibet mutandæ: magnæ, crassâ substantiâ præditæ, biennium vel triennium integræ manent. *Cortices*, in annum & ultra perdurant. *Ligna*, biennium, triennium, vel quadriennium, & ultra perdurant, *Gummi & Resinæ* durabilioris sunt naturæ.

Animalia, eorūque partes, vires suas vegetas obtinere creduntur, quamdiu incorrupta servantur, id quod rancido fœtore, sapore, situ, atque coloris mutatione dignosci potest: molliores tamen partes singulis annis mutare præstat.

C A P. V.

De modo adaptandi Simplicia ad Asservationem.

Modus adaptandi variat, prout res integræ in partes dissecta, repurgata vel secus asservari postulat, vel prout diverso situ est collocanda, aliudve expetit, cujus auxilio à corruptione conservetur.

Flores asservantur ut plurimum à caulibus ac foliis suis herbaceis segregati. *Herbæ* seu *Folia*, si grandiora fuerint, caulibus crassioribus, seorsim à caulibus decerpta reponuntur: sin caulibus sint tenuioribus, unâ cum iisdem asservantur, nec rarò unâ cum floribus. *Radices*, aliæ servantur integræ, aliæ in taleolas dissectæ, similiter admittuntur nonnullis lignosâ matrix.

Carnosæ animalium partes lavantur primùm pro libitu, cum vino vel decocto convenienti, hinc exsiccantur in furno. *Res pingues & oleosæ* lavantur in aqua aliquoties, donec puræ evaserint: hinc lento igne liquantur, colantur, effundunturve super

per frigidam, ut fordes ad fundum subsidant, vel in spumam colligantur; post reponuntur in locum frigidum, quo servantur. *Membranosae partes*, ut intestina, secundum longitudinem secantur, abluantur vino vel decocto convenienti, in frustra dissecta exsiccantur in clibano, ac servantur. *Sanguis* repurgatur à sero, hinc exsiccat in furno. *Fella* detrahuntur à jecore, præligatisque filo viis introitus & exitus, ficcantur in camino suspensa. *Coagula* exiccata fumo aut sole asservantur.

C A P. VI.

De loco Asservationis Simplicium.

Locus in genere eligendus est purus, asservandoque medicamento conveniens, sublimis, siccus, pervius, septentrionem meridionemque spectans. Vitandus è contra locus impurus, pulverulentus, subterraneus, uliginosus, insolatus, infumatus, &c. Custodiendæque sunt res nè à radiis solis urantur, neque squalore tecti vel murorum madesiant. Quinimo non abs re foret, in peculiari camera seu hypocausto, super scamnis ac asseribus, herbas rarâ stratificatione, blandi caloris beneficio ficcare, postmodumque vasis mundis asservare.

E Mineralibus; *Terræ, Metalla, & Lapides*, Scatulis vel arculis ligneis asservari poterunt. *Salina* ligneis custodiuntur vel vitris, reponunturque loco sicco. *Aquea* vitris vel urceis vitreatis.

E Vegetabilibus: *Flores & Herbæ* ficcantur in umbra, ponunturque sacculis chartaceis vel arculis ligneis, ut à pulvere tutæ sint. *Semina & Fructus* asservantur loco sicco vasculis ligneis, pyxidibus, chartisque, ut eo diutius & sine impuritate perdurent, involvuntur. *Radices* asservandæ sunt in aëre sicco, vasculis ligneis. *Cortices & ligna* arculis ligneis, locoque sicco asservantur. *Gummi, ac Resinæ* siccae, sicco loco atque ligneis vasis includuntur; liquidiores in urceis.

Ex Animalibus. *Animalia* eorumque partes ficiores in pyxidibus ligneis reponuntur. *Adipes & Medullas*, vasis, aut urceis, vel singulis vel vitreatis recondere convenit, locoque frigido ac sicco asservare.

De Collectione & asservatione simplicium v. plura apud *Laurentium Horticul.* & apud *Simonem Pauli in Quadripart. Botan.*

C A P. VII.

De Viribus, & Usibus Fossilium, Vegetabilium, & Animalium in genere.

HIC maximus differendi campus, universam ferè Creationis faciem complectens; sine his nec lautè, nec commodè, nec omnino vivitur, quæcumque ad ædificium, ad vestitum, ad victum, ad medicinam, ad navigium, oblectamenta sensuum, & delicias, quæcumque ad vitam humanam necessaria sunt, è vastissimo & locupletissimo hoc Naturæ Thesaurò abundè suppeditantur. Verùm, his missis, de eorum tantum viribus seu usibus in medicina verba faciam; tam Antiqui, quam Neoretici, hæc vires & usus diversimodè investigarunt; alii, à temperamentis seu primis naturalium qualitibus, calore, frigore, humiditate, siccitate. Alii à Saporibus, ut *Grævius, & Floyer*. Alii à Signaturis, & Aspectu Planetarum. Aliqui ab esu & pastu Insectorum. Quidam à Loco & Tempore crescendi; sed hæc incerta omnia; optimus investigandi horum vires nobis modus esse videtur experimenta faciendo in corporibus Animalibus, quos effectus & Phænomena res ipsæ producant in machinis nostris, vel purgando, movendo Diaphoresin, Urinam, Vomitus, Narcosin; vel specificè & alterativè agendo in humores. Horum ferè omnium illustria experimenta dedit *Weesperus de Cicuta Aquatica*.

De Chymica materiæ medicæ Analyti, vide *Wedelii & Etmulleri Opera*; item *Raii Hist. Plant.* pag. 55, 56. & *Dedarti Memor.* ad inferiendam Academiam Regiam in concinnanda Historia vegetabili, 8vo. *Parisiis*, 1679.

C A P. VIII.

De Divisione & Methodo hujus Operis in genere.

Materiam Medicam in quatuor partes dividimus, viz. 1. *Mineralogiam*; 2. *Phytologiam* (sub qua *Botanologia & Dendrologia*) 3. *Zoologiam*. 4. *Anthropologiam*.

Prima pars Fossilia, Aquas Minerales, Terras, Sales, Sulphura & Bitumina, Mineras, Metalla, & Lapides comprehendit, non vulgaribus methodis, sed novo ordine naturæ vestigiis insistente disposita Tabulis Synopticis, & notis Characteristicis distincta, adeo ut Tyrones facili operâ res ipsas

certò ediscant, easque memoriae mandare possint. Hæc Mineralium dispositio maxima ex parte nostra est, licet egregios viros, *Kentmannum, Gesnerum, Fallopium, Cæsalpinum, Agricolum, Swenckfeldum, &c.* in hac palæstra sudasse fateamur.

Secunda de Vegetabilibus, Herbis, Fruticibus, Arboribus, eorumque partibus in officinis usitatis, agit; in quorum dispositione, nec *Schroderum*, nec ullum materiae medicae scriptorem imitati fuimus, sed ipsos naturæ libros & fontes adivimus, optimosque Botanicos, *Andream Cæsalpinum, Fabium Columnam, Bauhinos, Morisonum, Raium, Plukenetium, Horti Malabarici Autores, Hermannum, &c.* pervolvimus. A Flore, semine, & conceptaculis, Tabulas & Characteres nostros præcipue formavimus; vulgares methodos Alphabeticas, & dispositiones à locis, florendi tempore, vel à qualitatibus desumptas negleximus, ut incertas & frivolas.

Tertia de Animalibus, Insectis, Piscibus, Avibus, Serpentibus, Quadrupedibus, eorumque partes usui Medico accomodatas tractat; in hisce digerendis,

non *Gesnerum*, non *Aldrovandum*, nec *Johnstonum*, sequuti fuimus; sed summum Philosophum *Johannem Raium*, Britanniae nostrae Lumen & Ornamentum, consultavimus. Qui non solum Plantas, sed Animalia, partim in operibus editis, partim in Codicibus Manuscriptis, accuratissime & felicissime disposuit.

Quarta, de Homine, seu simplicia ex partibus humani corporis adhuc viventis desumpta, vel ex mortuis differit.

A primo genere initium facere lubet, ut ita ab ignobilioribus ad nobiliora, ab imperfectioribus ad perfectiora, ab inferioribus seu subterraneis, ad superiora & altiora paulatim ascendamus.

Hæc de Divisione & Methodo nostra in genere; pro subdivisionibus subalternis & harum unicuique subordinatis ipsæ Tabulae per totum librum sparsæ consuli possint. Ubique Methodum (Memoriae Matrem) maxime naturalem facillimeque observavimus, sine qua confusio, obscuritas, & difficultates insuperabiles oriri solent.

